

3357

I. N. D. N. J. C.

18.

THESES
JURIDICÆ,
DE

DONATIONIBUS
QUAS


ADJUVANTE DIVINO NUMINE
SUB PRÆSIDIO

D. JOANNIS HENRICI
BOECLERI,

J. U. D. & Juris Publici Profeforis.
SOLENNITER DEFENDET

Ad Diem Januarii M. DCC. XIX.

NICOLAUS JAQUINOT,
LANDAVIENSIS.



Diss. jur. civ. VITORATI, Typis Viduæ Michaëlis Storckii, Typogr.

156, 12

Vol. 68. A-2

18.
DEO
OPT. MAXIMO,
FAUTORIBUS
ET
AMICIS.



QUÆSTIO PRIMA.

An pater liberis in potestate constitutis donare possit ?

VIDETUR hæc Quæstio prima fronte esse Domitiana, quod si enim dictamen rectæ rationis consulamus, quis quæso dubitare poterit ? quin parentes liberis donare possint, utpote cum ipsum Naturæ Jus jubeat parentes, ut liberos majori longe quam alios benevolentia prosequantur, iisque maxima beneficia exhibeant atque præstent. Ipsæ quoque leges Romanæ permittunt matri ut liberis donet, quidni ergo etiam pater hoc Jus habeat ? præcipue cum idem illud Jus Romanum asserat, non esse affectum qui vincat paternum, & si pater de Jure Civili potest donare liberis extra potestatem constitutis, videtur multo magis donare posse liberis in potestate constitutis, utpote cum credibile sit Eundem eos teneriore affectu prosequi, quoniam illos in sinu suo quasi retinet. Verum enim vero rationibus hîsce non obstantibus, statuimus se-

cundum Jura communia Romana Patrem non posse donare liberis quos in potestate habet. Habemus plures hanc in rem textus : Clarissima autem sunt verba legis 17. C. de Donat. quæ ita habent : *Sane si ea quæ in tua positis potestate donaveras, post emancipationem contrariam tenuerint voluntatem, horum penes te Dominium remansit, si quidem nec tempore quo voluisti propter vinculum potestatis sibi quicquam querere, nec post te invito de rebus tuis potuerunt.* Ratio hujus decisionis consistit, uti id verba textus declarant, in ipso potestatis vinculo. Propter fictionem enim unitatis personarum, quicquid Filius familias acquirit ex re patris, illud pertinet ad peculium profectitium, quod quoad proprietatem & usum fructum pertinet ad patrem. Itaque sibi ipsi pater donaret, si filiofam: donare vellet, id quod tamen absurdum est, cum nemo vel sui ipsius debitor esse, vel rem cujusjam plenum dominium habet, magis suam facere possit, Non stringunt itaque rationes supra ex Jure naturæ, uti & ex Jure Civili allatæ, nam concedimus equidem, si Jus Naturæ simpliciter & seposito Jure Civili consideremus, nihil esse quod impediatur patrem quo minus liberis in potestate constitutis donationem facere possit, attamen quoniam idem Jus Legislatoribus humanis potestatem reliquit, eidem aliquid addendi vel detrahendi, hinc res jam decidenda venit ex natura patriæ potestatis speciali, qualis nimirum à Jure Civili formata est. Quod autem de hoc ultimo Jure Mater donare possit, id quoque nobis non obstat, utpote cum illa nullam in liberos habeat potestatem. De cætero illud addimus, quod, quemadmodum nulla regula sine exceptione in-

veni-

venitur, ita hæc nostra quoque suas patiatur limitationes: ita enim valet donatio patris in liberos in potestate positos, si morte convalidetur. *l. 25. C. de donat.* Si Filius in militiam proficiscatur. *l. 1. C. de Cast. pecul. &c.*

QUÆSTIO II.

An si alicui donata fuerint omnia bona, comprehendantur quoque Jura & actiones?

SUNT plures qui id negant. utpote cum res incorporales, siue quæ sua natura tangi non possunt & in Jure consistunt soloque intellectu percipiuntur, proprie neque mobiles neque immobiles sint, quapropter etiam in Jure nostro solent bonis mobilibus & immobilibus contradistingui, uti id apparet ex *l. 15. §. 2. ff. de re Jud. & l. 7. §. 4. ff. de pecul.* Placet nobis tamen affirmativam tueri propter duas quæ in Jure Civili Romano occurrunt leges. Una extat in *tit. ff. de usufr. leg.* Estque ultima ac ita habet: *Nihil interest, utrum bonorum quis, an rerum tertia partis usum fructum legaverit, nam si bonorum usus fructus legabitur, etiam ea alienum ex bonis deducetur, & quod in actionibus erit computabitur.* Altera reperitur in *tit. ff. de verb. signif. estque 49.* In bonis nostris computari sciendum est, non solum quæ domini nostri sunt, sed & si bona fide à nobis possideantur, vel superficiaria sint. Aequè bonis annumerabitur, etiam si quid est in actionibus, petitionibus, persecutionibus, nam hæc omnia in bonis sunt.

QUÆSTIO III.

An si donator renunciaret revocationi donationis ob supervenientiam liberorum, nihilominus natis liberis donatio sit irrita?

UT hæc Quæstio melius intelligatur, notandum est, quod si aliquis non habens liberos, donet alteri, possit, si nanciscatur deinde liberos, factam donationem revocare propter *l. 8. C. de revoc. donat.* quæ licet à nonnullis ad patronos restringatur, si nimirum illi libertis donent, attamen melius faciunt ii qui eam ad alios quoque donatores extendunt, cum leges scire non hoc sit verba earum tenere, sed vim & potestatem, uti loquitur *l. 17. ff. de LL.* Quid ergo si donator qui sperare potest liberos expresse renunciaret juri revocandi. Sane non desunt gravissimi Autores qui patri hanc potestatem denegant, quia revocatio hæc introducta est in favorem liberorum, jam autem notum est Juri quidem suo quemlibet, sed tamen non alieno posse renunciare. Et ita in Camera quoque Imperiali pronunciatum esse referunt Processus Cameralis scriptores. Interim tamen magis arridet nobis affirmantium sententia, ratio nostra decidendi in eo consistit, quod donator in dubio censeatur hanc conditionem addere donationi, ut illa firma sit, nisi liberi nascaantur, hanc autem conditionem si aperte rejicit, non potest illa vim habere, cum valor donationis non tam in favore liberorum, quam in voluntate patris fundetur, quæ ratio simul inservire potest ad refutan-

futan-

futanda & elidenda ea quæ in contrarium fuere allegata.

QUÆSTIO IV.

An judex dona accipere possit?

COMMUNITER Doctores in hac Quæstione ita respondere solent, distinguendum esse inter esculenta & potulenta, atque alia munera, priora, si modica sint, posse Judicem accipere, posteriora minime. Fundant se in *l. 18. ff. de off. pres.* quæ ita habet, *plebiscito continetur, ut ne quis præsidum, munus, donum caperet, nisi esculentum, potulentumve quod intra dies proximos prodigatur.* Prosper quoq; Farinacius explicat quænam sint modica edulia, lepus nimirum, cuniculus, perdix, phasianus, murena, salmo, vel varia vini genera. Paris vero de Puteo ita exponit, si non parvus casæus, vel duæ phialæ Malvaticæ offerantur, uti videre est apud Celeberrimum *Stryckium* in eleganti de Jure sensuum tractatu *Dissert. VI. cap. IV. §. 45.* cujus etiam hac super re sententiam omnino nostram facimus utpote qui docet *l. 18. ff. de off. pres.* non loqui de Judicibus, sed de xeniis Magistratibus in Provincias missis à Provincialibus oblatis, quemadmodum adhuc hodie moris est, ut Personis illustribus Provinciam vel Civitatem quandam ingredientibus, Caro, Pisces vel Vinum offerantur. De cætero id addimus, sententiam Doctorum locum habere posse de Jure Canonico, ita enim *cap. XI. X. de rescr. in 6* expresse Judicibus interdicit ne ullum munus vel quicquam aliud à parti-

parti-

partibus recipere præsumant, addita tamen limitatione, nisi forsân esculentum vel potulentum mera liberalitate oblatum, quod paucis consumi possit diebus. Optime autem nobis videntur facere illi Judices qui omnino, etiam levissimis muneribus abstinent.

QUÆSTIO V.

An in donatione mortis causa, donatarius testis esse possit?

TRITUM & omnibus cognitum est donationem mortis causa fere per omnia exæquatam esse legatis, uti Imperator id docet *in tit. Inst. de Donat.* hinc cum sit species ultimæ voluntatis, in omni autem ultima voluntate ad minimum quinque testes requirantur *per l. ult. C. de Codic.* nullum dubium est hunc numerum testium in donatione quoque mortis causa adesse debere, id quod expresse quoque sancit *l. ult. C. de Donat. mort. caus.* Hac occasione nonnulli lēt. statuere solent Donatarium ipsum in numero quinque testium esse posse. Sane si verum esset quod Carpzovius asserit legatarium posse esse testem in codicillis, tuta satis esset affirmantium opinio: fundat ille se in *l. 22. C. de Testam.* verba ejus hæc sunt, *dictantibus testamenta, vel aliam quamlibet ultimam voluntatem, legatum vel fidei commissum vel quodcumque aliud, quolibet legitimo titulo testatorem posse relinquere, minime dubitandum est. Testibus etiam ad efficiendam voluntatem adhibitis pro suo libito quod voluerit testator relinquere non prohibetur,*

betur. Verum nos negamus legatarium posse esse testem in Codicillis propter §. 10. *Inst. de Testam. ordin.* adeoq; cum consequentia à legatis ad mortis causa donationes procedat, donatarium quoq; talem à testimonio ferendo excludimus. Ad legem à Carpzovio allegatam, quæ magnopere nobis obstare videtur, in ipso conflictu respondebimus.

QUÆSTIO VI.

An quis donationem mortis causa per nuncium vel procuratorem acceptare possit.

QUAMVIS donationes mortis causa plurima habeant communia cum legatis, nonnullæ tamen inter hæc duo negotia sunt differentia, in quarum numero illa quoq; reperitur, quod legatum possit relinqui quoque ignorantibus, donatio vero mortis causa debeat à donatario acceptari, cum hac in re participet de natura conventionum & sane ob hanc ipsam rationem quod in acceptatione conveniat cum pactis, asserimus eam quoq; per Procuratorem ab absente constitutum posse acceptari, movemur insuper l. 11. §. 2. ff. de donat. int. vir. & ux. neque terret nos l. 38. ff. de donat. mat. caus. quæ expresse dicit, quod inter mortis causa donationem & omnia quæ mortis causa quis ceperit, ea sit differentia, quod mortis causa donetur, quando presens presenti dat mortis autem causa capi intelligatur, & quod non cadit in speciem donationis.

B

QUE.

QUÆSTIO VII.

An Filiusfamilias qui mortis causa donare vult, opus habeat consensu Patris?

FILIUMFAMILIAS testamentum regulariter facere non posse ne quidem cum consensu Patris expediti Juris est, utpote cum privati Juri publico derogare minime queant, quin autem idem mortis causa donare possit, propter claras leges extra dubium quoque positum est, an autem tunc consensus Patris quoque simpliciter & semper necessarius sit, videtur ambigi posse. Pro affirmativa enim summopere faciunt l. 7. §. 4. ff. de donat. quæ sic legitur: *pari autem ratione qua donare Filiusfamilias prohibetur, etiam mortis causa donare prohibetur, quamvis enim ex Patris voluntate mortis quoque causa donare possit, attamen ubi cessat voluntas, inhibebitur quoque hæc donatio.* atque l. 25. ff. de mort. caus. donat. *Filiusfamilias qui non potest facere testamentum nec voluntate Patris, tamen mortis causa donare Patre permitte potest.*

Verum distinguendum omnino est an Filiusfam. mortis causa donet de peculio profectitio vel adventitio regulari, tunc enim ob præjudicium Patris sine consensu ejus mortis causa donare non potest, adeoque Patris voluntas non accedere debet solennitatis causa, sed propter ipsius interesse. Secus autem res se habet ratione aliorum peculiorum de quibus sine consensu Patris libere Filiusfam. mortis causa donat.

QUE.

QUESTIO VIII

An Jus accrescendi locum habeat si quis in donatione mortis causa aliquid sibi reservet, & postea sine ultima voluntate decedat?

INSIGNIS est inter summos **J**UROS controversia an in tali casu illud quod Donator sibi reservavit Donatario accrescat, an vero heredibus ab intestato debeatur. Multi sunt qui Donatario rem adjudicant & quidem uti ipsi credunt optimo Jure, propter §. 14. l. un. C. de caduc. toll. utpote in quo expresse dicitur quod *Jus accrescendi locum habere debeat tam in testamentis, sive in scriptis sive sine scriptis habitis, quam in codicillis, & omni ultimo elogio, vel si quid ab intestato fuerit derelictum, NEC NON IN MORTIS CAUSA DONATIONIBUS.* Nos à parte heredum ab intestato stabimus.



1717 OTTOMAN

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

